

spiritualem attraxit, qui jam omnes filii iræ natura sunt, ac mortui in peccatis, *Eph. II. 3. 5.*

§. III. Quæ mors spiritualis, sublatam illam per lapsum vitam insecuta, tanquam terminus à quo regenerationis, & qualis sit, explicatu jam nunc adeò difficilis esse non potest, quandoquidem oppositorum oppositam esse rationem oportet. Scilicet, in genere est vitæ spiritualis, ac virium activarum ad DEUM rectè agnoscendum ejusque voluntati conformiter se gerendum requisitarum, ac olim homini concreatarum privatio atque carentia. Inde naturaliter mortuo, omnibus ad actus vitales in se eliciendos exercendosque requisitis viribus destituito, similis factus homo est. Minime tamen ita mortui concipiendi sunt homines vita spirituali destituti, ac si nulla, præter naturalem, in illis vita daretur. Est illis, proh! alia quoque vita, sunt mediâ in morte vivi & actuosi, quid? quod ipsa mors spiritualis aliam secum ferat vitam, & in formali sua ratione involvat: est vitam à vita DEI alienam, *Eph. IV. 18.* Vitam, qua actuosi sunt, ut ambulent juxta seculum mundi hujus, juxta Principem, cui potestas est aëris, ut conversentur in concupiscentiis carnis suæ, facientes, quæ carni & menti libent, *Eph. II. 2. 3.* Idem illud significatur quoque, quando dicuntur mortui per delicta, *Eph. II. 5, Col. II. 13.* peccata enim ut alia omissionis, ita & alia commissionis sunt. Idcirco spiritualis mortis indolem rite explicaturus non privationem duntaxat vitæ, quæ vi primæ creationis homini inesse debebat, sed contrariam quoque vitam & ad malum actuositatem attendere & observare habebit. Ita verò speciatim ex parte intellectus mors spiritualis dicit privationem virium rectè cognoscendi DEUM & mysteria divina, cum primis ea, quæ ut ad salutem æternam consequendam cognitu necessaria à DEO revelata sunt, eaque firmo assensu amplectendi. Unde homines ante regenerationem ad vitam spiritualem dicuntur mentem habere obtenebratam, ab alienati à vitâ DEI, propter ignorantiam, quæ est in illis, & excecationem cordis eorum, *Eph. IV. 18.* Imo, ad intendendam significationem, abstractum quippe pro superlativo concreti poni solet, vocantur in abstracto Tenebræ, *Eph. V. 8.* Cui nativæ ignorantia puræ negationis conjuncta est ignorantia pravæ dispositionis, & naturalis pronitas intellectus ad falsa & temeraria de rebus spiritualibus judicia ferenda.